

IN LIBRUM DECIMUM

EPI TOMA.

Cypri insulae descriptio, atque insulanorum motus cum Cornarii caede principio referuntur: Conjurati Venetae classis interventu insula excefferunt: Mocenicus statum insulae sua praesentia firmavit: Albania, Epirotica, & Scodra descriptio: Solimanus Eunuchus Scodram ingentibus copiis oppugnare adortus est: Veneti terra & aquis Scodrenses obsidione levare conati sunt: Venetae triremes in Boliانا prospere in Turcos depugnarunt: Turci ingenti strage a Scodrae moenibus sunt repulsi: Triadanus Gritus Boliано caelo affectus Cathari vita decessit: Pannoniae Rex saepius per id tempus in Turcos prospere pugnavit: Scodra obsidione soluta est: Antonius Lauretanus, cujus praecipua opera Scodra servata fuerat, imperium classis adeptus, Naupactum primo, inde Lemnum opportuno accessu servavit: Veneti in Epiro ad Crojam praelio victi ingentem cladem acceperunt: Nec multo post in Italia ad Sontium amnem, florentissimo equitatu amisso, Forojulianus sive Carnicus ager a Turcis ferro & igni vastatus est: Scodra longe atrocius quam quadriennio ante est a Turcis oppugnata: Turci novissime in Italiam eruperunt: Pax cum Othomano tandem secuta est, quum Scodrensis adhuc obsidio teneret: In insulis ob Zacynthi praesidium, bellum pene renovatum est: In He-truria post res cum Turco compositas, aliquandiu est pro Florentinis bellatum.